
THEOPHILI MULLERI, MED. DOCT. & PHYS. EIDERSTAD...

Theophilus Muller







I. N. J.

Commentatio I.

de

Oleis, variisque, ea extrahendi modis.

§. 1.

DE Oleis dicturus, ne oleum & operam perdere videar, non circa nuclei tegmen ſcilicet inanem voculæ hujus enodationem verſabor, ſed nucleum ipſum potius deguſtans, olei definitionem ejusque diviſionem ſtatim quàm breviſſimè tradam.

§. 2.

EST itaque oleum ſpiritus cujuscunq; rei, ex qua extrahitur atq; prolicitur, concentratus, unctuoſus, ſul-

phureus & facilè inflammabilis. Nicolaus Lemery in ſuo Curſu Chymico Oleum deſcribit, *quod ſit ſubſtantia quædam dulcis, ſubtilis, unctuoſa, quæ in deſtillatione poſt ſpiritum prodit.*

§. 3.

DIviditur autem oleum in oleum *naturale*, & oleum *factitium*: Naturale natura producit; Factitium ars elaborat: Olea, quæ à natura proveniunt, profluunt vel ex montibus, rupibus &c. vel fluctuant in maribus, fluviis atque fontibus, quò omnia bitumina mollia in & extra terram contenta quoque referuntur; Vel deſtillant ex arboribus, virgultis &c.

§. 4.

INter hæc, quæ ex montibus profluunt, & deinceps in maribus fluctuant, non ultimum locum habet *Succinum*, quod, quamvis illud alii cum Fabro ob Sal volatile, quod ex eo mediante deſtillatione elicitur, vegetabilibus annumerent, ab Athanſio

nasio Kirchero tamen non immeritò inter bitumina terrestria & subterranea recenseatur; Et imprimis illud quod Suedi atque Dani vel ex mari cum retibus piscantur, vel in oris colligunt, vel in littore effodiunt, ex ejusmodi pingvibus exhalationibus terrestribus oriri, deinceps per montes excavatos in mare destillare, ibique congelatum reperiri, communis fama est: Hinc & in ingenti copia in Prussiaco maris Baltici sinu, atque sæpissimè etiam apud nos ad littus maris, locum quendam *Sanct Peter* dictum, & à civitate nostra Tonninga non longè distantem alluentis, invenitur; Indicum verò cæteras Electri hujus species virtutibus antèire creditur, & dicunt Historici, quod Crocodili in Nilo vitam degentes, sæpissimè albissimas purissimasque hujus succini particulas in sese contineant.

§. 5.

HUc referimus quoque *Succinum resolutum* nimirum *Peteroleum*, quod sub terra etiam suos scaturigi-

riginum modos habet ; Unde vi aëris è lasticâ cum aqua subterranea ad summa montium cacumina protruditur, à quibus deinceps cum fluminibus in mare sese devolvit, ubi à mercatoribus colligitur, qui illud sub nomine H. Cathrinen-Oel vendunt: Et quod hoc oleum petræ in subterraneis telluris cuniculis natales suos habeat, ipse quoque testis sum; Nam quum ante annos decem, & quod excurrit, cum Viro clarissimo Christiano Wolffio, Medicinæ Doctore & p.t. Practico Lipsiensi iter Romam instituerem, pernoctabamus die uno in vico quodam *Pietro mala* dicto, Bononiæ celeberrimæ Italiæ urbi proximè adjacente ; Incolæ hujus loci nos certiores faciebant, in vicinia focos quosdam dari naturales atque ardentes, quapropter summo cum gaudio jugum montium horum, ubi Pyrophylacia hæc continebantur, ascendebamus; Ad hæc quum accessissemus, odor ita nares feriebat, ut juramento te obstrinxisses, totas lagenas olei petræ esse vel fractas vel evacuatas ; quam nostram opinionem quoque terra ex locis his eruta, & purum putum oleum

petræ

petræ redolens, magis, magisque firmam stabilemque reddebat.

§. 6.

POrro *Naphta* in horum censum venit, quam quidam oleis artificialibus, sed malè annumerant; Alii oleum Naphtæ oleum anthracum seu carbonum petræ esse, pertinaciter defendunt. Schroederus vult, quod sit *colamen bituminis Babylonii, consistentia liquidum ignis rapacissimum*: Cui & adstipulatur modò citatus Kircherus, quando in Mundo suo subterraneo ita scribit; *Bitumen Babylonis Naphtam vocant, ναφθὴν sive bituminosum liquorem, qui tantas cum igne amicitias init, ut vel ad proximam ignis applicationem inflammetur*: Cl. Ettmüllerus Præceptor meus olim dilectus, & quem post fata etiam honorifico cultu ac amore macto, naphtam veterum & oleum petræ nostras pro uno eodemque subjecto habebat: Reperitur variis in Italiæ & Siciliæ locis, uti in Naphtia loco vicino Mineo urbi Siciliæ, teste eôdem Kirchero.

cherô. Ego apud modò citatum Italiæ pagum *Pietro mala* paludem vidi, quæ non solùm semper ebulliendô bullas projiciebat, sed etiam uno in loco saltem stramine incensa, ictu quasi oculi quoad totam superficiem, flammam concipiebat, ex qua subitanea & prope irradiativa, totius hujus paludis incensione colligebam, naphtam quandam hic sub aqua latere.

§. 7.

AD hæc bitumina mollia, vel olea in terra contenta, quidam etiam oleum illud naturale, ex quo Catholici *Oleum ultimæ unctionis* componere creduntur, referunt: Id autem in Hispania ex tumba atque monumento cujusdam Regis fluere fertur, quô illi ad alia olea in hunc finem tingenda & fermentanda, paucas saltem ejus guttulas iis instillandô, utuntur.

§. 8.

UTi nec horum numero excludimus *Asphaltum*, quod est bituminosus

nosus liquor ev lacubus sulphureis & imprimis lacu illo Syriæ Asphaltites & mare mortuum dicto, in superficiem aquæ delatus, in littus appulsus, & duritiem lapidosam, purpureô colore induens; Refertur, uti dixi, inter bitumina naturalia, & est juxta Ettmülleri prolatum *rari usus, nisi pro corpore quorundam linimentorum, vel admiscetur balsamo apoplectico, ut eum colore nigro tingat*: Veteres illô loco calcis, ad ædificia compingenda & exstruenda, utebantur.

§. 9.

TAndem bituminosis & oleosis subterreis subjectis non immeritò adjungimus, illas pingvedines montanas, ex quibus natura metalla & mineralia componit, & quas Metallarii Berg-guhren vocant; hæ interdum illis etiam post eorum genesin adhærent, uti Petrus Albinus in suo Chronico *de Fodinis Misnensibus* conscripto, his verbis hoc innuit, quando p. 147. ita scribit: *Saxenfeldiæ lapidi metallico albæ & pingvis quædam*

terra adhæret: Quod verò ex ejusmodi corpore liquido & deinceps indurato metalla proveniant (dum Deus Omnipotens tanquam summus Artifex, etiam sub terra suas ustrinas & refrigeratoria sibi invicem adstantia habet, in quibus ille fusa & guttarum more destilantia metalla congelare facit,) monstrat Johannes Mathesius in sua Sarepta his verbis, quando dicit: *In interioribus terræ speluncis sæpissimè etiam minerale quoddam, in argentum album guttatim deciduum, & Glaß-Ertz dictum, reperitur.* Item: *Metallicolæ in terrarum cuniculis sæpissimè materiam quandam inveniunt, quam illi* Gur / *sive* Molckenfarbicht Wasser *appellant: Hæc deinceps coagulata in optimum evadit argentum, & propriè nihil aliud est, quàm pingvis quædam, & de Sulphure atq; Mercurio* participans, materia.

§. 10.

GEnesin horum aliorumve bituminum & oleorum naturalium quod concernit, elaborantur illa

in amplissimo subterraneo naturæ laboratorio pari ratione vi ignis, atque olea artificialia in nostris laboratoriis chymicis.; De his enim constat, quod si in destillationibus vel sublimationibus herbæ, lapides, succi &c. vigore ignis, caloris ve cujusvis alterius virtute torquentur, illa exinde profluant; Consimiliter mineralia, naturâ laborante, in cryptis subterraneis examini ignis subjiciuntur, & tamdiu flammâ vexantur, donec pro ipsorm diversitate, diversa etiam olea fundant.

§. II.

DAri autem ejusmodi ignes subterraneos extra omnem dubitationis aleam positum est: Jobus hujus ignis meminit, quando cap. 28. libri sui dicit; *Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est*; Et testantur illud quoque montes ignem vomentes, uti sunt Hecla in Islandia, quorum ultimus quod post immanem fumum ingentesque cineres maximam quoque ignium vim cum exustis lapidibus exspuerit, cum modò

dò citato meo dilectiſſimo per Italiam comite Dn. Doctore Wolffio, quum ſupra ejus jugum ſtaremus, ipſe vidi.

§. 12.

GEnerantur autem iſti ignes ſubterranei vel à motu, quemadmodum chalybem ad lapidem illiſum, hàc ratione ignem producere videmus, vel à radiis ſolaribus: Qui ſi totas ſylvas incendere & exurere poſſunt, quidni etiam per peculiarem & admirandum terram petrandi modum, in cuniculis ſubterraneis, & bitumine plenis, ejusmodi incendia faciant; Imprimis ſi talia loca offendunt, quæ inſtar ſpeculorum concavorum, errorum vim radiativam colligunt in unum, & eam in ſibi oppoſitas vel adjacentes mineras ſulphureas, & hinc facilè inflammabiles, reflectunt.

§. 13.

QUidam in hac opinione fuerunt, ignes hos non ſemper à natura, ſed

ſed interdum etiam arte productos fuiſſe; Hinc peculiares pulveres pyrios invenerunt, quibus hoc efficere ſtuduêre, exiſtimantes ſi Theophraſti obſervatione ab aqua calx & gypſum etiam inflammaretur, imo à ſputo lapis Thracius, & quivis alius arte factus, accenderetur, talibus inventis multò faciliùs ſe ſcopum ſuum attacturos. Verumenimverò quamvis *magna & ſingularis*, ut Fortunius Licetus in præfatione ad ſuos ſex libros de reconditis antiquorum lucernis ſcribit, *ubiq; in ſuis operibus cum artis tum naturæ ſit vis*, tamen huic potius quàm illi ſtupenda & admiranda hæc ſubterraneorum incendiorum producta adſcribere recta ratio, & multorum ſeculorum experientia nobis dictitant.

§. 14.

PRogredimur ulterius, paucis etiam olea ex arboribus deſtillantia conſideraturi, quæ communiter vel balſama, vel reſinæ, gummata & lachrymæ dicuntur, quæque ex arboribus aut ſponte

transſudant, aut ex iis non niſi prius quoad corticem vel ramos ſauciatis profluunt.

§. 15.

BAlſamis annumeratur *Balſamus Syriacus*, omnium balſamorum laudatiſſimus, qui juxta Schrœderum eſt *liquor flavus inſtar Therebinthinæ, odoris fragrantiſſimi, ſaporis ſubamari & acris, & qui*, uti Eraſmus Franciſci Horti ſui Orientalis & Occidentalis Indiæ ac Sinæ parte prima fol. 69. ſcribit, *ex frutice dumoſo & ferulaceo ab inhabitatoribus Goaconax dicto, provenit.*

§. 16.

HUic meritò jungimus *balſamum Indiæ Occidentalis*, qui ex America, ſive Nova Hiſpania Indiæ Occidentalis ad nos affertur, & quamvis juxta citatum Franciſci, *hic balſamus non verus balſamus uti ille eſt, qui ex Alexandria & Cairo venit, & qui olim in Judæa re-*

repertus fuit, nihilominus tamen est, *liquor fragrans & quidem arboris Indicæ Balsami dictæ, odoris itidem*, uti Schroederus habet, *suavissimi; Optimus verò*, ait modò citatus Francisci, *hic est, qui Insulam Tocu pro patria agnoscit*, & odorem Limoniorum fragrantiam vel Jasmini quodammodò referentem habet; De quibus balsamis apud Monardum, Clusium, Petrum Bellonium, Alpinum, aliosque Autores plura legi possunt.

§. 17.

MEminit verò Francisci aliorum quoque balsamorum Americanorum, e. g. liquoris balsamæi, ex arbore *Hoitziloxitel* profluentis, qui Balsamo Syriaco similis est, & illi neque, quoad odorem, neque quoad vires cedit: Item balsami arboris *Copaibæ*, qui non solum gratum odorem spirat, sed cujus vires etiam insigniter balsamicæ & vulnerariæ sunt, quique ex arbore sua, quoad corticem in plenilunio vulnerata, tanta in copia prorumpit, ut intra spatium trium ho-

horarum duodecim libras olei sollicitantibus suggerat: Uti & citatus Autor Horti Orientalis & Occidentalis Indiæ ac Sinæ gratissimi illius succi oleosi, ab arbore sua Cabureiba *Cabureizica* appellati, & mense Martio, itidem tempore plenilunii collecti, mentionem facit.

§. 18.

GUmmatis, resinis & lachrymis annumerantur *gummi Ammoniacum* plantæ ferulaceæ succus *Benzoin* resina gummosa admodum elegans, atque ex arbore proceræ magnitudinis & suavissimi odoris transsudans, *Camphora* itidem lachryma resinosa proceræ cujusdam ac peregrinæ arboris *Galbanum* gummi ferulaceum, *Ladanum* gummi arboreum, *Masticbe* lentilci arboris lachryma, *Myrrha* resina gummea, revera balsamum quoddam naturale referens; *Therebinthina* resina liquidiuscula, ex arbore Therebintho collecta, *Sarcocolla* lachryma gummea, aliaque hujus census atque commatis.

§. 19.

§. 19.

HÆc de oleis naturalibus dixisse sufficiat; Olea artificialia quod concernit, dispescimus illa melioris indaginis causa in Olea *expressa* & olea *compressata*, in olea *destillata per ascensum*, & olea *destillata per descensum*, in olea *infusa*, & in olea *cocta*; De singulis pauca quædam dicemus.

§. 20.

OLea expressa ejusmodi olea sunt, quæ cum magnis & parvis prælis ad hanc suam pingvedinem coguntur: Dantur autem 1. Schrauben-Pressen/ quæ unam vel duas cochleas, ferreum vectem, ferreamque arcam seu cistam, ut igni imponi, & hôc modô calefieri queat, habent. 2. Reperiuntur præla in totum ferrea, itidem ex ferreo vecte & in inferiori ipsorum parte ex robusto assere constant a, utrisque fortis funiculus, in superiori parte duas forfi ces, & in inferiori circulum seu annulum ferreum possidens,

dens, applicatur, cum quibus mediante der Schrauben ohne Ende / omne quodlibet, fortiter exprimi poteſt. 3. Sunt quoque Spillen-Preſſen / itidem fortibus cochleis exſtructa, quæ cum ſucculis ſubditis coguntur: Ut autem illa conſerventur, neceſſe eſt ea ſæpiſſimè oleô inungi.

§. 21.

SUbjecta, quæ his prælis ſubjiciuntur, ut plurimum ſunt fructus, nuclei, nuces atque ſemina, ex quibus nunc ignis adjumentô, nunc nullô juvante externô calore, olea educunter: Si ſine igne oleum inde cogitur, hi fructus ſemina &c. ut plurimum uti ſunt, nullâ aliâ præparatione præviâ, frigidè ſacculo aut ſtamini vel cilicio è ſeta equina contexto, induntur; Si verò auxiliô ignis hæc operatio inſtituitur, ſemina hæc ſæpiſſimè, antequam expreſſio fit, vel ſuper ignem in ahenis macerantur, vel vinô ſive ſpiritu vini conſperſa, itidemque calefacta, tandem exprimuntur.

§. 22.

SOlemus autem utplurimum nuces moſchatas, maces, caryophyllos, aliosque ejusmodi fructus, ſacculis ſetaceis incluſos, (paucorum enim ſaltem mentionem faciemus, quum omnia olea expreſſa, eorumque ſubjecta, ex quibus exprimuntur, recenſere nimis longum, imo ſupervacaneum eſſet, & Weckerus, Schroëderus aliique Autores ſatis abundeque hoc egerint,) in peculiari vaſe duplici vapore aquæ calidæ, vini, vel alius liquoris tepefacere; Lapidoſa verò & dura ſemina, uti ſunt ſemen Sambuci, Semen Berberum &c. priùs benè contuſa ac trita, in ſartagine torrere, & prælis fortibus ac tepidis oleoſum ſuccum exinde elicere.

§. 23.

FRuctus verò molliores, item ſemina mollia tepidiùs tractare neceſſe eſt: Hinc etiam Itali Jaſmini, Aurantiorum, Citri, aliosque amœnum odorem ſpirantes flores, poſtquam illos cum inciſis amyg-

amygdalis S. S. S. locandô vitro amplo atque rotundo indidêre, fortiterque, compressêre vel radiis solaribus exponunt, vel in alium moderatè calidum locum collocant, quos deinceps post temporis aliquod spatium, materiâ hâc mediante aqua calida, in quam vitrum immissum est, tepefactâ, exprimunt, oleoque huic novos flores adjiciendo, reiteratâ expressione ad priorem pingvedinem cogunt, & sic per chartam, ut pellucidum illud reddant, filtrant. Et hôc modô varia olea ex aromatibus ac gummatis, quæ vel internè adhiberi, vel externè ad fucos compingendos usurpari possunt, expximuntur & præparantur!

§. 24.

SImili ratione ex araneis crucigeris, & aliis animalculis atque insectis venenatis; si in mortario igne calefacto prius contunduntur, quod tamen cum cautela fieri debet, olea haberi possunt: Verum enim verò certas ob causas horum tractationi supersedeo, & ad olea compressata me converto.

§. 25

§. 25.

OLea compressata ut plurimum conficiuntur in magnis illis molis, in quibus redit labor actus in orbem nimirum ubi rotæ cum trudibus mox surgunt, mox iterum etiam præcipitantur, & aliàs molæ trusatiles atque aquariæ appellantur: Mediantibus his enim Oleum sem. lini, cannabis, erucæ, sesami, raporum, nucum, castanearum aliaque olea, vel ad cibos componendos, vel pro pabulo ignis lampadum continuando adhibenda, magna in copia eliciuntur ac provocantur.

§. 26.

POrro reperiuntur præla, quæ cum torcularibus admodum conveniunt, & itidem 1. vectes atque cochleas, 2. rotas & tympana, 3. trudes & malleos habent, cum quibus in Hispania atque Italia oleum olivarum, oleum lauri, aliorumque fructuum oleum exprimitur atque exigitur; Ut itaque nulli, cui aliquid

eli-

elicere animus eſt, modò vi contra vim uti ſcit, peculiares prælorum modos invenire difficile, nedum impoſſibile ſit.

§. 27.

PErgo nunc ad olea per aſcenſum deſtillata, quæ in peculiaribus furnis cum variis vaſis & inſtrumentis ad hunc finem aptis, ſublimantur & deſtillantur: Uti ſunt 1. Veſicæ cupreæ, cuprea & ſtannea refrigeratoria habentes, quibus ex abundanti tubi ex cupro ſtannato per vaſa lignea tranſientes affixi ſunt: Uti & veſicis his vitrea, cuprea & terrea alembica ſeu capitella imponuntur, quæ cum tubis cuparum refrigerantium quoque communicant. 2. Dantur varia balnea vaporoſa, item varia balnea maris, ex variis liquoribus atque aquis, quibus ſcobs, palea avenacea, muſcus, folia &c. Injecta ſunt, facta atque compoſita; His cupreæ, ſtanneæ & vitreæ cucurbitæ atque alembica cum & ſine annexis refrigeratoriis immerguntur. 3. Sunt varii generis cupellæ e, g. arenæ, cinerum, calcis vivæ, farinæ

la-

laterum, rasuræ Martis &c. quibus phiolas ongas, variaque alia vasa circulatoria & distillatoria committimus. Uti & 4. multa olea per ascensum in aperto igne cum torffo, ligno, & carbonibus &c. destillantur, quæ deinceps per unum atque alterum huic scopo conveniens instrumentum mediante igne rectificamus, & pura atque clara reddimus.

§. 28.

PArantur autem hæc olea per ascensum destillata, ut plurimum ex singulis simplicium familiis mineralium, vegetabilium ac animalium. Regnum minerale talia olea nobis utplurimum in subjectis suis sulphureis promittit, hinc ex Antimonio, ut illius hâc vice tantùm mentionem faciam, non solùm talis liquor pinguis elicitur, qui cancrum & omnia ulcera gangrænosa sanat, sed etiam exinde ejusmodi oleum mediante ejus vitrô provocatur, ex quo Basilius Valentinus, uti ille in suo Curru Triumphali Antimonii p. m. 128 scribit, lapidem *Ignis*, qui particulaiter

riter tantum præstare creditur, quantum universaliter lapis Philosophorum potest, componit.

§. 29.

REgnum vegetabile primariò in herbis, floribus, fructibus, seminibus, radicibus, lignis, corticibus atque aromatibus sua olea nobis suggerit, secundariò in resinis, gummatis &c. Ex herbis, floribus, fructibus, seminibus &c. Si destillatio instituitur, necesse est herbas virides vel siccas, item flores &c. ante destillationis actum bene incidere, fructus verò, semina & aromata contundere, aquam frigidam, vel certô modô quoque tepefactam, iis affundere, & postquam aliquot dies in infuso manserunt, per cohobium, seu cohobationem, uti dicitur, destillare; Ita tamen, ut singulis vicibus antequam hæc cohobatio fit, oleum liquori innatans mediante lanà, gossipiô, portiunculâ quêdam pandi, vel vitreo argenteum tribulum possidente separatoriô, segregetur.

§. 30.

§ 30.

UT autem hæc destillatio felicius procedat, non solum digestio fermentativa illi sæpissimè præmittitur, sed utplurimum etiam, ut olea puriora atque clariora ascendant, subjectis destillandis Sal commune, Sal Tartari, Tartarus crudus atque cineres adjiciuntur, sicque in vesicis parvis (quas magnis propter nimiam oleorum profusionem, quæ in his plerumque fieri solet, meritò præferimus,) destillantur.

§. 31.

EX gummatis si olea eliciuntur, (eliciuntur autem subtiliora utplurimum per vesicam cum aqua destillando, crassiora ac ponderosiora verò per retortam,) plerumque post primam hanc extractionem illa etiam rectificantur, quod utplurimum aut per se fit, aut cum aqua, lixivio & aliis liquoribus, item per additamentum cretæ, cinerum, concharum calcinatarum, calcis, boli, testarum ovorum, cornu cervi usti, spodii, sive alius capitis mortui.

§. 32.

REgnum animale denique olea sua nobis sistit per destillationem cornuum, ossium, ungularum, medullarum, cerebri, sangvinis &c. Quæ omnia in destillationibus suis non solùm olea fundunt, sed etiam ut plurimum spiritus & salia volatilia simul exhibent; Ut M. le Febure in Tractatu suo Chymico per destillationem cornu cervi, cranii & sangvinis humani &c. prolixè hoc demonstrat.

§. 33.

OLea per descensum destillata itidem varios furnos & instrumenta requirunt. 1, Dantur in variis Herciniæ sylvæ locis furni, in quibus non solùm das loß Pech/ sed etiam oleum pini destillatur. 2. Reperiuntur hinc atque inde varii furni, quorum superi pars focum, inferior autem cavitatem atque januam clausam habet, super quos cum una, duabus, tribus inversis cucurbitis, ollis & instrumentis oleum elici potest; Median-

diantibus quibus in Saxonia inferiori der Tegen (est gummi nigrum,) in Tyroli comitatu & Salisburgi, oleum Juniperi ex ligno destillatur; Item resina ex fungo laricis provocatur.

§. 34.

INditur aliàs etiam olla, vario pingvi ligno, resinis, axungiis, gummatis aliisque subjectis repleta, quoad fundamentum seu inferiorem sui ipsius partem confossa atque perforata, & quoad superiorem operculo tecta, lutoque bene clausa, alii ollæ, terræque committitur, ut hâc ratione mediante ignæ rotæ, vel è longinquo vel propinquè constructo oleum exinde eliciatur ac provocetur: Uti & super hanc ollam furnus tubulatus, cum foraminibus ollæ communicans, exstrui potest,

§. 35.

POrro olea admodum clara & elegantia sequenti modo ex variis piscibus e. g. angvillis, hepate mustelæ

&c. elici possunt. Nimirum tornatur ex ligno tiliæ vasculum quoddam cavum, tenue, subtile & ferme transparens, quod quoad inferiorem partem rotundum, quoad superiorem verò operculo extante compositum est; Hoc postquam suâ materiâ, quam destillare volumus, repletum est, usque ad medietatem vitro amplo atque rotundo inditur, super fornacem ponitur, & hâc ratione, fæcibus in pyxide hac remanentibus, calore mediocri oleum quoddam pellucidum atque clarum transsudat.

§. 36.

DEnique ejusdem sortis ferme ex animalibus, fructibus, feminibus & aliis subjectis varia olea atque liquores obtinendi modus est, quando materia destillanda vitro amplo immittitur, eaque ipsa hôc bene clausô, & massâ panis circumvolutô, in furno pistorio hâc ratione coquitur & separatur.

§. 37.

Su-

SUperest ut paucis etiam olea infusa & olea cocta tradamus. Olea infusa, quæ utplurimum vel simplicia vel composita sunt, illa olea dicuntur, quæ per nudam infusionem nullā coctione accedente, fiunt, nimirum quando herbæ, flores, radices, fructus, cortices, semina &c. sive illa sint viridia, sive exsiccata, incisa, rasa & contusa oleo olivarum, amygdalarum, lini, sesami, adjiciuntur, & ita macerantur: E. g. Recipitur horum unius uncia una, vel libra una, in vas huic operationi conveniens, & quod circumligandô & tegendô bene claudi potest, immittitur, & postquam duæ, tres, quatuor, quinque partes olei, pro necessitate rei extrahendæ, illi affusæ fuerunt, leni calori exponitur; quam materiam deinceps certis temporibus versandô & circumagendô, ad olei formam redigunt.

§. 38.

HUc refertur etiam in solatio, & est destillatio ope radiorum solarium instituta: Item projectio in-

 se-

ſectorum aliarumque beſtiolarum, Scorpionum, Scarabæorum &c. in certa olea, quæ autem pro ratione olei vel pauca vel plura, & quidem utplurimum viva, vaſis & vitris injiciuntur, & ita benè clauſa ad uſum reſervantur.

§. 39.

OLea cocta utplurimum mediante coctione acquiruntur; Coquuntur enim herbæ, flores &c. ex quibus illa fiunt, oleo aquæ, vino aliique liquori convenienti mixto, & quidem tantisper, donec humiditas aquea exhalarit; Uti & quidam hæc ipſa ſubjecta, duplici vaſi incluſa, calidæ aquæ, ut ſuperflua humiditas hâc ratione exhalare queat, immergunt; Et ſi illa ipſa olea ſtatim coquere ſive exprimere non libet, in annum integrum, usque ad ipſorum propriam commoditatem, reponunt.

§. 40.

QUæ olea cocta verò, ſive illa ſimplicia, ſive compoſita ſint, novis

vis floribus atque ſpeciebus renovare placet, illa ipſa lento igne coquere, exprimere, & tandem à ſpiſſamento ſeu craſſamento, ſtymma aliàs dicto, repurgare necesse eſt.

§. 41.

REpurgamus autem & reddimus olea quoque clara, per pyxidem illam tileaceam, de qua ſuprâ diximus, item per Manicam Hippocraticam, tepida ſive calida illa transfundendô; Quoniam autem utplurimùm quædam eorum rubra, quædam viridia, quædam flava, quædam cœrulea, quædam alius coloris ſunt, tonſtrinas imprimis exornare, & intrantium oculos paſcere ſolent.

Commentatio II.
de
Quibusdam Alchymiæ Ortum & Progressum breviter illustrantibus.

Punct. I.
de
Alchymia & ejus Origine.

QUintam essentiam æternum mysterium esse, Leonhardus Turneysserus in suo libro primo de *Quinta Essentia* scribit, eamque per Alchymiam unicè obtineri omnes veteres Philosophi docent; Siquidem illa non solùm principium & clavis totius Philosophiæ atque ejus partium est, sed etiam hac de causa ante aliquot secula à Christianis atque Ethnicis, imprimis autem post tempore Trismegisti aut Hermetis, ab Orientalibus excoli cœpta. Primus maximusve omnium Alchymista & Transmutator fuit Deus intransmutabilis, qui per potens suum prolatum atque effatum FIAT,

FIAT, omnes res ita creavit ac transmutavit, ut de illis Scriptura ſacra Geneſ. 1. meritò hæc enunciet: *Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Uti autem Deus ſummum bonum audit, & ſua dona inſtar ſolis, radios ſuos quaquaverſum diſpergentis, largiter diſtribuit; Ita πρωτόπλαςος noſter parens Adam ejus gratiæ, & cum illa magnæ hujus ſcientiæ, etiam particeps reddebatur, quam tamen ſerpente ſeducente, & Eva perſuadente, fructum arboris cognitionis boni & mali deguſtans, mox iterum amittebat: Et quamvis illi naturam in ſua Quinta Eſſentia denuo recognoſcenti, poſt reconciliationem cum Deo, per promiſſum mulieris Semen, hæc Alchymia aliquali modô de novo quaſi concrederetur, cum nihilominus tamen vix tertiam prioris cognitionis partem reacquiſiviſſe, minimamque ſaltem ſcientiam de hac, quam antea habuit, in ipſum iterum veniſſe, & ab ipſo in poſteros ſuos translatam fuiſſe, multi Philoſophi volunt: Ut hinc illi Prophetæ atque ſervo Dei fideli, *Moiſi*, ſuis viribus propriis freto, impoſſibile fuiſſet, in Pentatevcho

lumen naturæ realluminare, & omnia hæc literis consignare, nisi cum illa, uti lex divina in tabulas lapideas, ita hæc scientia illi in cor suum ab ipsissimo Dei digito fuisset scripta atque insculpta: Quemadmodum & ille ex hoc unico & solo fundamento vitulum aureum, quem Israëlitæ fabricaverant, cremabat & in pulverem redigebat. A Mose hæc ars in suum fratrem summum Pontificem *Aaronem* derivata; *Mirjam* Aaronis sororem illam in certos libros atque Emblemata distinxisse, eandemq; quibusdam virginibus sive duodecim *Sibyllis* reliquisse, quidam Rabbini scribunt; Juxta quorum opinionem & Rex Pharao, etiamsi multos horum librorum Vulcano tradere jusserit, non impedire potuit, quin hæc ars apud Israëlitas certum studium exhiberet, quod illi cum Veteri Testamento in Synagogis deinceps publicè professi sunt: Donec tandem *Salomon* Regum sapientissimus ortus, quem non solùm de omnibus herbis usque ad hyssopum ex muris crescentem, prudenter discurrere, sed etiam lapides viles in pretiosos, metalla ignobilia in aurum & argentum

tum transmutare potuisse, illi Philosophi credunt, qui verba hæc 1. Reg cap. 10. legenda: *Fecitq; ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum: Et cedrorum præbuit multitudinem, quasi Sicomoros, quæ nascuntur in campestribus*, de Tinctura, cum qua illum metalla transmutasse, & arbores sylvestres in cedros transformasse dixêre, intelligunt; Siquidem juxta horum opinionem ille apparatus gemmarum, margaritarum, corralliorum, auri & argenti, quem classis Salomonis singulis annis per navigationem Ophiriticam apportabat, ad pretiosam templi exstructionem, quam Deo jubente susceperat, minimè suffecisset: Quare & Regina Arabiæ, postquam ejus summam sapientiam tot laudum encomiis extulerat, immensas illius divitias, quæ superbientes aliàs in hoc passu felicissimæ suæ ipsius regionis thesauros multis parasangis superabant, in cœlum usque effert: Imò nonnulli Rabbini hanc opinionem fovent, quum Rex Salomon à Deo sapientiam petiisset, magnum illum omnium bonorum Largitorem, inter alias scientias

illam artem ipſi ſimul conceſſiſſe, & inſuper illum quoque ambas has ſtatuas, quibus Hermes, poſteros ne ingenti hôc beneficiô defraudaret, illam inſculpſerat, obtinuiſſe, quarum una, ut aquis reſiſteret, ſi forte diluvium iterum terram inundaret, ex lapidibus naturalibus, altera ut ignem ſuſtineret, ſi fortè per hunc mundus interiret, ex lapidibus coctis conſtitiſſe fertur. Congruant hæc cum veritate ſive non, extra omnem dubitationis aleam tamen poſitum eſt, hanc artem valde antiquam & Chriſtianam eſſe artem, quam tres Orientis Sapientes atque Magi ſine dubio etiam calluerunt: Poſtquam autem cœteri Ethnici, Deum & ejus verbum non agnoſcentes, neque etiam ſecundum exemplum horum agnoſcere multùm deſiderantes, illi quoque operam navabant, & illam ex aſtris atque natura unicè addiſcere ſtudebant, Superſtitio tandem illi ſeſe immiſcebat, cujus ductu varii Dii, ſigna cœleſtia, lumina, ſpecula, ſigilla, effigies, characteres, literæ, vocabula, numeri & puncta ab illis fingebantur, quibus certis cœli impreſſionibus adjutis, magnam vim reſerandi

randi atque claudendi adſcribebant, donec tandem hæc ſuperſtitio tantoperè incrementum capiebat, ut Alchymia hæc in *Necromantiam* degeneraret; Quamvis nunc igitur hæc poſterior cane pejus & angve fugienda, nihilominus tamen illa prior propter ſuam excellentiam valde amanda atque amplexanda; Siquidem illa non ſolum metallorum transmutationem (quam quidam ſed injuſtè, in dubium vocant,) docet, ſed etiam Medicinâ univerſali, cum aliis pretioſis particularibus potiundi viam monſtrat.

Punct. 2.

De quonam Alchymia propriè agat?

AGit itaque Alchymia 1. de transmutatione metallorum, 2. de Medicina univerſali: Et 3. de variis aliis Medicamentis particularibus virtuoſis atque valentibus. Transmutationem metallorum multi veterum Philoſophorum, omnes tamen ænigmaticè deſcripſerunt. Medicamenta particularia ſive univerſalia particularia, ſi illa ita appellare li-

cet, mox hic, mox ille Medicus insignis atque excellens mediante hac arte invenit, quò & Libavii, Unzeri, Mynsichti, Crollii, Salæ, Schroëderi, Quercetani, aliorumq; præclarissimorum virorum secretiores processus Chymici referri possunt; quos modò nomine cujusdam Astri, modo nomine cujusdam Reguli, præcipitati, vitri, vitrioli, sublimati, croci volatilis, Lapidis, salis, sulphuris, Mercurii, Essentiæ, olei &c. consignarunt. Materiæ, ex quibus illi plerumque hæc specifica componere solebant, ut plurimum erant *Antimonium*, *Mercurius atq; Vitriolum*; Ex quorum singulis quidam eorum plus quam centum & viginti medicamenta chymica se producere velle pollicebantur: Hinc e.g. ex Antimonio mox quoddam sal, mox quoddam sulphur per ascensum, mox quoddam sulphur per descensum, mox quendam Mercurium currentem, mox quoddam sublimatum, mox quoddam præcipitatum, mox quandam tincturam siccam, mox quandam tincturam liquidam, mox quosdam flores fixos, mox quosdam flores volatiles &c. eliciebant; aliarum scientiarum atque artium

tium in quibus Antimoniô itidem utebantur, e. g. artis probatoriæ, typographicæ, tinctoriæ, vitrariæ &c. in præsentiarum ne quidem mentionem faciendô; Ex quibus omnibus luculenter apparet, Antimonium non solùm varia bona atque utilia medicamenta nobis subministrare, sed etiam ad alias artes addiscendas amplam & largam nobis monstrare posse viam; Omnes enim ejus virtutes enarrare impossibile est, nec ævum in posterum veniens illas recensebit: De frigido & calido, de humido & sicco participat; Mercurium in adjutorium adjutores suos trahens, ad massam perfectam coagulat; Et ex eo solo, cæteris post habitis, universale quoddam particulare satis potens, obtineri potest. Ut hinc ille Medicus, qui Antimonium rectè tractare scit, in elaboratione reliquorum processuum nullam quoque difficultatem deprehendat atque sentiat: Bene autem, ut iterum ad scopum nostrum redeamus, In præparatione talium medicamentorum particularium, sive illa ex metallis, sive ex aliis fossilibus sint, observandum est, ne si illa componuntur, illud

quod

quod ipsis vivacitatem subministrat, & vivum aliàs appellari solet, eò tempore suffocetur, sive per nimium ignem extingvatur; Quamvis interea minimè negandum, calorem & putrefactionem horum effectuum primos esse autores, & sine eorum auxilio ejusmodi particulare nunquam produci posse: Nam si metallum quoddam solummodò & per se hoc efficeret; nullum imperfectum minerale unquam particulare sponderet: Quoniam autem talia mineralia omnium optima particularia nobis suggerunt, necesse est, ut mediantibus veris suis nutrimentis & menstruis, ignis frigidus atque calidus, maximam & præstantissimam in hoc nobis locet operam, siquidem utrorumque officium est *solvere & coagulare*. Invenerunt autem quidam, quos meritò etiam inter Adeptos referimus, ejusmodi specifica & particularia, cum quibus fere idem præstiterunt, quod alteri cum panecéa sua universali, siquidem non solum illos morbos, ad quos hæc medicamenta directa fuerunt, his ipsis radicitùs exstirparunt, sed etiam in memoriæ confortatione, & cæterorum sensuum re-

refectione guttatim ſaltem ea adhibendô, ſtupenda præſtiterunt: Adhibebantur autem ab illis hæc pharmaca non, uti jam modò dixi, in quovis morbo, ſed in his tantùm, ad quos ab aſtris mineralia hæc, ex quibus hæc medicamenta componebantur, erant creata atque producta; Item in illis, quos modò nominata aſtra ipſa cauſaverant: Imo quidam veterum Philoſophorum hanc particularia componendi artem ſuis inventis tam ſplendidam atque illuſtrem reddebant, ut horum auxiliô idem illud artificialiter generarent, quod aliàs aſtra mediante ſuo lumine atque virtute naturaliter producebant: Exempli gratiâ, ſumebant ſemen quoddam ſylveſtre, cujus generis aut ſpeciei etiam illud erat, iſtudq; particulari ipſorum immaceratum germinandi cauſâ terræ mandabant, quô fiebat, ut germen ſive planta hujus ſeminis, non ſolùm alteras ejusdem ſortis plantas naturaliterq; prognatas, magnitudine atq; robore vinceret, & in integram hyemem maximum frigus in agris ſatum perferret, ſed etiam, quod vires ejus concernit, plantas has ſponte & naturaliter creſcentes, longè

longe multumq; superaret; Hinc ejusmodi particularia partim in Medicina adhibebant, partim unum atq; alterum obtinendi causâ, illis in mechanicis utebantur, unde e. g. cryſtallis aliisq; pellucidis lapidibus, ut illos pellucidiores magis magisq; diaphonos redderent, addebant; Ex quibus luculenter patet, naturam artem in auxilium nactam, maximas ſecretiſſimasq; efficere poſſe res. Quod tandem Medicinam univerſalem, de qua in ſequentibus pauca quædam dicere animus eſt, ſpectat, veteres Philoſophi hac ut potirentur variis inſtitêre viis, nempe *humidæ & ſiccæ, frigidæ & calidæ* &c. Et verâ ne ad hanc deſtituerentur materiâ, eam mox in vegetabilibus, mox in marinis, mox in animantibus atq; brutis, mox in mineralibus & Cadmiis, mox in aliis ſubjectis quæſiverunt; Ex quorum uno ſine dubio etiam illa materia fuit, quam olim moriens quidam pater filio ſuo literis patefecit, quando ad eum ita ſcripſit: *Mi Fili, quoniam hora mortis meæ, uti videtur, inſtat, teq; illud, quod in per triginta annos mediante igne quæſito medicamento univerſali adinveni, moriens celare nolo,*

lo, suasor tibi sum, ut materiam, quam tibi alio tempore paceseci atq; declaravi, auxiliò Vulcani tam puram atq; subtilem reddas, ut mollitudine lanam etiam superare queat: Hôc factô, immerge illam, menstruô meô penitus solutam, digestionis gratiâ triplex trimestre spatium in fimum caballinum, post quod tempus si fundum phiolæ respicies, non solum menstruum absumptum, sed etiam illius locô, fœtum novem hos menses incarceratum, jam tibi amabiliter alludentem invenies; Qui tamen non nisi à Genio sibi adstante ad tempus derelictus, in lucem hanc edi potest, quod mediante sublimatione quadam instâ, cujus ope Genius hic superiori phiolæ parti adhærescet, fiet. Quos utrosq; tu deinceps, vitrô in medietate dissectô, eximere, auxiliô olei naturæ de novo unire, & ad lapidem coagulare debes.

Punct. 3.

An verum, quod Medicina universalis detur? Et an quilibet ad illius præparationem aptus sit?

SUnt quidem multi, qui Medicinæ universalis seu panacéæ Hermeticæ exi-

ſtentiam nobis dubiam incertamve reddere conantur, & quidem ex hoc fundamento, quoniam veteres Philoſophi ejus poſſeſſores, eam parabolicè ſaltem deſcripſiſſent, & velut involucris quibusdam tectam oculis noſtris exhibuiſſent, unde & integram hanc artem inter inſomnia & phantaſias referunt: Verum enim verò quod concluſio, hæc falſa & nullius momenti ſit: *Veteres Philoſophi Medicinam univerſalem occultarunt, & ænigmaticè ſaltem eam deſcripſerunt. E. Scripta eorum de illa nihil aliud quàm mera inſomnia ſunt*, quilibet, qui paululum ſaltem rectiore atq; juſtiore mentis trutinâ rem ponderabit, facilè deprehendet. Quapropter hanc artem potius pro vera atq; certa arte, imo pro illa ipſa reputemus, quæ omnibus Atheis, qui reſurrectionem mortuorum, quamvis hujus ex ſacris pandectis ſatis abundeq; certiores facti, nihilominus tamen in dubium vocant, eandem per experimenta infallibilia demonſtrare, & ita craſſi atq; inexcuſabilis ipſorum erroris eos convincere poteſt: Quod autem ſtatim ego, tu &c. hoc eſt, quilibet noſtram ad illius præparatione-

nem

nem aptus ſit, hoc & ipſi ſapientiæ filii negant: Nam quemadmodum, inquiunt, Epicharmus ſcribit, *quod Dii nobis laboribus omnia bona vendant*; Ita etiam aureum hoc vellus ſine prævio labore acquiri impoſſibile eſſet; Unde pergunt atq; dicunt, quod ille ipſe, qui ejus particeps reddi vellet, præ omnibus aliis rebus artem Caballiſticam callere deberet, ut verbis & literis ligare atq; ſolvere poſſet; Siquidem juxta vetus axioma in verbis magna virtus lateret. Secundò illam Cabaliſticam & Coſſiſticam Arithmeticam ſcire oporteret, quoniam hæc verum *ſolve & coagula* in ſe ſe contineret, & nullum occultioris Philoſophiæ dictum eſſet, quod per hanc arithmeticam non enucleari atque reſolvi poſſet: Strueret theſium antitheſes: Inquireret in tempora atque annos, & quamdiu Monarchia quædam durare deberet, ſcrutaretur: Metiretur maria atque profunda, imo ipſum cœlum & terram: Numerus rebus robur adderet, & infringeret quoq; illas: Per hunc pulveres pyrii & omnia fulminantia majorem fulminandi vim nanciſce-

ciſcērentur, ejusque auxiliô etiam illam ipſam amitterent: Spirttus Chymicos fixos & volatiles redderet, & tandem in ipſa Elementa dominium ſuum exercens, illis aut fortiter, aut placidè agendi neceſſitatem imponeret. Tertiò opus eſſet, ut ſcientiâ phyſicâ benè inſtructus ſignaturam rerum, quoniam natura unicuiq; rei peculiarem ſuum characterem largiretur, intelligeret, imo quia omnium rerum vita atque mors ex hoc ipſo non parum dependeret, illô rectè uti ſciret. Quartò neceſſe eſſet, ut metallicam artem callens, metallorum ac mineralium differentiam probè nôſſet, & quomodo hoc vel illud metallum, ſub hac vel illa elevatione poli, nobilius vel vilius exiſteret, hoc vel illud genus mineræ alteri ſe ſe maritaret, unum metallum in alterum corporaliter & ſpiritualiter transmutari, volatile atq; fixum reddi deberet, tandemque quomodo viliſſimarum minerarum matrices aliique fluores, mediante igne ſimplici vel philoſophico, cum quodam regulo ſeu aſtro maturari, & ad ſummam perfectionem exaltari

altari possent, intelligeret: Ad quod obtinendum Pyrotechnia cum suis philosophicis atque chymicis furnis per apertionem & clausuram certorum tubulorum (der Schlüßhäne/) calorem augendi vel minuendi causâ, item cum suis lychnis pensilibus (Thurm- und Tropff Lampen/) cum suis asteriscis (Licht- und Stern-Feuern/) quorum fila, ex auro, argento, alumine plumoso &c. constarent, multùm valeret. Quintò Astronomiam didicisse operæ pretium esset, ut quamvis certas horas atque tempora in tractatione medicamenti (in Einsetzung und Außnehmung desselben/) non observare deberet, nihilominus tamen ratione veris, æstatis, autumni atque hyemis calidam & frigidam, humidam & siccam tempestatem dijudicare, item quando & quomodo meteora suum sputum, suum ignem, suos lapides cœlitus demitterent atque dejicerent, cognitum haberent: Uti nec eum latere deberet, hanc Astronomiam sive Astrologiam in censura uniuscujusque subjecti, & imprimis hominis seu brutorum, plus genus fœmininum

vas quoddam fere univerſale, cujus imitatione maxima ſecreta effici poſſent, repræſentaret.

FINIS.

